

dum radicale & primigenium appellatur. Itaque dum quærimus, quæ ætas sit calidior, si per calidum non solum qualitatem, sed etiam humidum, cui inhæret, intelligimus; rectissime statuitur, pueros esse calidiores. In his enim adhuc humidum illud primigenium maxime abundat. Quod etiam docuit Hippocrates, qui *citaante aphorif. 4. sect.* eos, qui augentur, plurimum habere calidi innati statuit. Verum si ipsam qualitatem respiciamus, et si, si ipsum gradum caloris respicimus, nec in hoc forsitan magna sit inter pueros, adolescentes & juvenes differentia: tamen si ipsam efficaciam & modum & qualitatem caloris attendimus, recte juvenes & adolescentes pueris dicuntur esse calidiores. In pueris n. obruitur humiditate calor atque impeditur, quo minus sese liberè exserere possit: In adolescentibus verò & juvenibus, absumta nonnihil humiditate, ficior est, liberior & expeditior, majoremq; vim agendi habet, tactuq; magis deprehenditur & mordacior apparet.

Senectus Tandem succedit senectus, quæ obhumidi radicalis consumptionem, ac caloris defectum, frigida est & sicca; & quidem magis vel minus frigida & sicca, prout magis à juventute recedat. Secundum enim hunc à juventute recessum & hinc provenientes majorem & minorem siccitatem aliquæ etiam senum differentia constitui ab autoribus so-

lent. Quorum ultimam mors tandem naturalis insequitur. Quod verò ab Hipp. *l. de salubr. diata, t. 7.* senes dicuntur frigidi & humidi, id non de nativa membrorum temperie, sed de adscititia intelligendum est. Senes enim ob caloris nativi debilitatem excrementorum majorem copiam cumulant; unde humidi dicuntur: licet alias temperies partium solidarum siccissima sit.

CAPUT V.

De Calido innato, & humido Radicali.

UT autem hæc, quæ de Temperamentis diximus, clariora evadant, & quid ille calor insitus & influens, è quibus Temperamentum corporis constat, & perficitur, sit, manifestius evadat: de Calido innato atque spiritibus aliquid addere libet. Et ut de calido innato, ac humido radicali primo loco dicamus: omnes quidem philosophi & medici fatentur, calidum & humidum innatum animatorum, esse præcipuum animæ vegetantis instrumentum. Sed quæ sit ejus natura, maxime dissentiunt; adeo quidem, ut quo quis in investiganda calidi innati natura plures autores in consiliu adhibeat, eò ferè incertior reddatur. Unde qui calidi innati naturam explicare tentat, rem difficilem & obscuram aggreditur; & si qua in re à vero aberrat, facile apud viros doctos veniam meretur. Hinc præstantissimus ille Medicus

Calidi innati difficultis cognitio.